

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 7593

**Auteur(s) :** Henri Ier Beauclerc, Angleterre (roi)

**Bénéficiaire(s) :** Sées, Notre-Dame (cathédrale)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1131, février

**Lieu d'émission :** Rouen

**Action juridique :** donation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Donation faite par Henri [Ier], roi d'Angleterre, pour la cathédrale de Sées du fief de Guillaume Goth à Laleu (Orne).

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Haskins Charles Homer, *Norman Institutions*, Cambridge, Harvard University Press, 1918, Appendix F, n° 10, p. 299-300.

Texte établi d'après a

Henricus Dei gracia rex Anglorum et dux Normannorum archiepiscopo Rothomagensi et episcopis et abbatibus, baronibus et omnibus fidelibus et filiis sancte ecclesie per Normanniam constitutis salutem. Sciatis quod ego Henricus per gratiam Dei rex Anglorum et dux Normannorum dedi in elemosinam et concessi pro salute animarum patris et matris mee et parentum meorum et pro remissione peccatorum meorum et pro statu et incolumitate regni nostri et ducatus Normanie Deo et ecclesie sanctorum martirum Gervasii et Prothasii de Sagio in dominium ecclesie et proprium usum episcopi totum feodum Alodii quem tenuit Guillelmus Goth : hoc est quicquid ipse Guillelmus Goth habuit inter Sartam et Tancham tam in terris quam in pratis et aquis et molendinis et silvestribus nemoribus et hominibus et theloneis et consuetudinibus et omnibus omnino rebus, sicut idem Guillelmus quietius et liberius tenuit tempore patris mei. Quem feodum ego emi de mea propria pecunia de Avelina nepte ipsius Guillelmi et Ricardo de Luceio filio ipsius Aveline et iustis heredibus predicti Alodii, quod ipsi, Avelina scilicet et Ricardus et iusti heredes eiusdem feodi, eum in manu Roberti filii comitis Gloescestrie videntibus multis reddiderunt et postea vendicionem istam coram me cognoverunt et confirmaverunt et eam quietam de se et suis heredibus clamaverunt. Et ego predictum feodum Alodii ita liberum et quietum ab eis et omnibus heredibus concedo et confirmo sanctis martiribus Gervasio et Prothasio et episcopo in elemosinam sicut supra dictum est.

Hanc ergo donacionem meam factam anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo trigesimo primo laudo et concedo, confirmo et illi ecclesie in perpetuum obtinendam regia potestate et a Deo michi auctoritate collata corrobore. Teste presencia et audientia Hugonis archiepiscopi Rothomagensis, Iohannis Lexoviensis, Audini Ebroicensis episcopi, Richardi episcopi Baiocensis, Iohannis episcopi tunc Sagiensis, Roberti de sigillo et Nigelli nepotis episcopi de Saresberia, Roberti comitis Gloescestre filii mei, Guillelmi comitis Warenne et Walerani comitis Mellenti et Roberti comitis Legrecestrie, Roberti de Haia dapiferi et Hugonis Bigot dapiferi et Rabelli cammerarii et Brientii filii comitis conestabularii et Gaufridi de Clintone. Apud Rothomagum mense Februario.